



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

Ex Cap. cùm olim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

66
Permutatio
beneficiorum
eiusdem Ec-
clesie an pro-
pria fieri pos-
sit auctori-
tate.

loco mutando non agatur, sed permutatio be-
nificiorum fiat in vno eodemque loco & qui-
dem in vna eademque ecclesia? putat Innocen-
tius IIII. permutationem talem auctoritate
propria fieri posse, si modò nullum sit onus dis-
par beneficiis his permutandis annexum sed
eodē censeantur iure; quasi tunc alienatio nul-
la fiat. arg. l. vnum ex familia. 67. n. de leg. 2.
Quam sententiā rectè refellunt alij, propterea
quòd spiritualia vel spiritualibus annexa per
per priuatos in commercium deduci nequeat:
Innocentij tamen sententiā defendi posse si
non tituli beneficiorum sed ipsa prædia sepa-
ratim singulis beneficiis applicata permuten-
tur inter eiusdem ecclesie canonicos. quæ limi-
tatio ratione non caret, quia propriè benefi-
ciorum permutatio non esset. Illud in genere
monendum videtur ex Ioannis Andreae in hūc
locum Nouella, propter solam solorū permuta-
antium vtilitatem permutationes paruorum

67
In magnimo-
menti benefi-
ciorum permuta-
tiones ex vti-
litate sola pri-
uata non fa-
cile esse ad-
mittendas.

quidem beneficiorū non difficulter admitren-
das esse, sed permutationes magnorum benefi-
ciorum seu magni in ecclesia momenti non ni-
si propter ecclesie vel necessitatem vel vtilita-
tem vel certè vix aliter esse recipiendas & ap-
probandas. At receptui tandem canamus.

CAP. CVM OLIM. 7. de rer. permut.

68
Integer con-
textus cap.
cum olim.

Innocentius III. Senoñ. Archiepiscopo
& praposituram adinuicem commutassent,
magistri eiusdem obtentu causam super hoc tunc
mimo.

memoria Nasconen. Episcopo duximus delegan-
dam. cumque idem B. ad presentiam nostram post-
modum accessisset vt in negotio sine suspitione pro-
cederet, obtentu ipsius dil. fil. Abbatem Clunia-
cen. eidem Episcopo duximus adiungendum. verum
cum propter abbatis absentiam non fuisset a delega-
tis pariter ipsis in causa processum, vtraque par-
tium se nostro conspectui presentavit & audientiam
obtinuit coram nobis. Et licet praedictus magister ab
initio sponte fuerit de permutatione confessus, idem
tamen B. eam infici:batur omnino, proponens quod
ipse praeposituram sine conditione qualibet resigna-
uit, & post resignationem praedicti magistri archi-
diaconatu fuerat adsecutus; licet magister ipse pro-
poneret ex aduerso; ipsum secum diutius de permuta-
tione tractasse & compluisse, eandem in manibus ve-
nerabilis fratris nostri Educens. Episcopi quod tra-
ctauerant posuisse. Verum sepe dictus B. delegatis
nostris non deferens, imo verius delegatis sigilla vio-
lauit, & illorum scripta, qua nobis fuerant presen-
tanda, non erubuit aperire. Caterum in nostra pra-
esentia constitutus aduersario suo presente in excu-
sationem suam propriam proposuit coram nobis quod
iudices perperam processissent contra ipsum, cum
acta in scriptis minus fideliter redigissent. vnde ti-
mens ne literas portaret Uria, scripta illorum ap-
peruit, & quod suspicatus fuerat adinuenit. Sande
si quid expediret melius notauisset, vel non recepisset
scripta suspecta, vel nobis fideliter retulisset & pra-
esentasset & ostendisset causam suspitionis proposita
coram nobis. Praterca cum non quereretur de indi-
ce quem ei ex proprio motu concessimus sed de illo

potius quem ipse duxerat eligendum, & indices suas nobis literas per eum destinassent, de ipso pariter conquerentes, verbis ipsius fidem non duximus adhibendam: sed ut in eo saltem puniretur in quo peccavit contra acta iudicium quae temere violarat. ipsum sicut non debuimus sic nolimus exaudire, ne videretur ei dolus suus patrocinium attulisse. Cum ergo nobis constaret quod ipse suum praestiterit permutati concensum, praedictus autem magister suum publicè fateretur errorem; & hunc praepositura, & illum archidiaconatu curauimus spoliaré, super hoc definitiuam contra eos sententiam praesententes.

69
Argu. Cap.
cum olim.

70
Rationes cur
beneficiorum
permutatio
fieri nequeat
auctoritate
propria.

Locus hic est Innocentij Tertij, de cuius tum innocentia morum tum ætate qua floruit in proœmio nostro dictum sit satis. Argumentum Cap. minimè videtur obscurum; beneficiis nimirum suis illos esse priuandos qui per propriam ea permutant auctoritatem. Facti species ex integro contextu suis complementis locupletato satis est clara. Ratio cur beneficiorum permutatio fieri nequeat auctoritate propria sollicitè quaritur à nostris, ac variè redditur à variis. Glossographus noster in voce definitiuam duas adfert rationes hasce; primò,
1 quod beneficia non sint beneficiariorum propria sed ecclesiae solius, in vsum dumtaxat nudum ipsis concessa: Permutationem autem in rebus non propriis at alienis nullo modo subsistere l. i. in fin. ꝛ. de rer. permut. Secundo, permutationem esse vicinam emptioni & venditioni toto tit. ꝛ. de rer. permutat. at qui spiritualia

ritualia vendi non posse. c. querelam. totoque
tit. de simonia. Tertiam subiungunt alij ratio-
nem, quod nemo possit semetipsum vel eligere
vel presentare vel sibi metipsum beneficium con-
ferre, c. vlt. s. de institut. c. per nostras. j. de
iure patr. tales autem permutates id in effectu
facere, dum alter ab altero beneficium accipit.
Sed omnium clarissima rotundissimaque ratio
reddi potest hæc, quod iuxta perpetuam & in-
violabilem iuris huius Pontificij regulam be-
neficium ecclesiasticum non possit licite sine
institutione canonica obtineri c. i. de reg. iur.
in 6. quæ quidē institutio canonica iure com-
muni solum est Episcoporum vel officialium
ab Episcopis constitutorum, iure verò speciali
aliorum subinde virorum est ecclesiasticorum.
c. ex frequentibus. & c. cum venissent. s. de in-
stitut. Ratio tamen Glossographi secunda coin-
cidit in hanc modò memoratam iuris regulam;
quandoquidem beneficiorum titulus est quid
spirituale quod in commercium non cadit. c.
dilecto. s. de præbend. quantumlibet ipsi pro-
ventus ecclesiastici quiddam sint omninò tem-
porale, dependens tamen ab hoc iure merè
spirituali, quod ut principale spectatur. & ita
quoque sese mutuo respiciunt præbenda &
canonicatus vel canonica, sicut ius hoc frequen-
ter loquitur; Canonica nimirum spirituale quid,
præbenda verò temporale quid significante. c.
cum M. Ferrariensis. s. de constitut. & alibi
passim.

Quæ cum ita sint, facilius nobis reddetur
c iiij huc

3
4

71
Institutio in
beneficia quo-
rum sit.

72
Titulus bene-
ficij quid spi-
rituale.


73
Præbenda
& Canonica
quatenus dif-
ferant.

74
An Simonia
cum sit per-
mutare bene-
ficia sine con-
sensu Episco-
pi.

hinc reiecta decisio quæstionis ad præcedēs cap.
propositæ motæq; de simonia, lateatne scilicet
ista labes in permutatione beneficiorū facta ci-
tra cōsensum Episcopi, nulla licet, interueniente
pecunia. Certè Glossographus hoc loco no-
ster ad vocem *consensum* simoniæ crimen hic ag-
noscit; vt & Ioannes Imolenfis. ad c. præce-
dens. nu. 8. quemadmodū & alij plerique; vel
maximè propter secūdam Glossographi nostri
rationem, quæ nō nihil videtur etiam illustrari
per ea quæ Doctor ille Nauarrus inter superio-
ra scribebat. idem sentit & Syluester Prieras in
sua summa dicit. *permutatio* secūdo. quæst. 1. Pa-
normitanus tamen hic studio cauteque semper
inculcat in hoc genere nomen ambitionis &
præsumptionis, & nō simoniæ, nisi quando &
pacti simul meminit. Quid multis? nundatio
talis non potest non esse periculosissima con-
scientiis propter præsentissimū simoniæ metu-
nam quamuis pecunia non interueniat, ipsum
tamen commercium de re factum principaliter
spirituali, perinde quasi profana foret, vixit vt
à simonia possit excusari. quo fit vt & ipse D.
Thomas author grauissimus in Summa sua
Theologica 2. 2. quæst. 100. art. 1. in respo-
sione ad argumentū 5. ita scribat: nomine em-
ptionis & venditionis intelligitur omnis con-
tractus nō gratuitus; vnde nec permutatio præ-
bendarum vel ecclesiasticorum beneficiorum
fieri potest auctoritate partiū absque periculo
simoniæ; sicut nec trāsactio, vt iura determinat
potest tamen Prælati ex officio suo permuta-
tione

tiones huiusmodi facere pro causa utili vel ne-
 cessaria. Sic Doctor Sanctus. ut amplius non
 putem dubitandum quin omnino simonia sit hic
 agnoscenda, maxime quod in materia peccato-
 rum nullus unquam possit satis magnus esse me-
 ritus. At cur, inquis, ista simonia cessat si consensus
 accedat Episcopi, cum quod per sese simonia-
 cum est & malum non possit ab Episcopo vel vl-
 lo mortaliu reddi non simoniacu vel bonum?
 Respondemus bifaria; primo, simoniam in be-
 neficiis esse iuris potissimum humani seu positi-
 ui, eoque ex eodem iure limitatione & restrictio-
 nem facilius recipere; quod pertinet quod Na-
 varrus dicebat beneficiorum permutatione ex
 consensu Episcopi iure permittente fieri. Secundo,
 si consensus Episcopi defuerit, ex pura nundina-
 tione partiu hinc inde tenetur ista beneficia; sin
 Episcopi consensus interuenerit, beneficia iure
 collationis & institutionis canonice possiden-
 tur, quia partes permutantes prius beneficia sua
 resignare tenentur in ordinarij manus, ac dein-
 cept fit compermutantibus eorunde beneficioru
 collatio cu institutione canonica hinc inde; ces-
 sat igitur hoc posteriore casu simonia, cessan-
 te nimiru priuata nudinationis temeritate: nec
 enim qui sic permutant dicendi sunt habere be-
 neficia hec ex permutatione, sed ex institutione
 canonica quantumlibet permutatio fuerit causa
 sine qua non fuisset ventu ad hanc institutione.
 Ceteru hac de re, quo scilicet iure, diuisione an
 humano, simonia sit in beneficiis prohibita, cer-
 tius atq; distinctius quid apud dominicu Soto

75
 Cur no aque
 Simoniaca sit
 beneficiorum
 permutatio
 que fit cum
 consensu Epi-
 scopi, atque
 que sine.



scriptorem diligentissimum & accuratissimum videre est lib. 9. de iustit. & iure. quæst. 7. art. 1. cui mox alius quoq; subnectitur articulus hic secundus, vtrum præbendarum permutatio absque simonia fieri possit; vbi tamen in prima sua conclusione parum feliciter mihi videtur idem Dominicus intelligere Glossographum nostrum ad c. ex parte. 12. §. de offic. & potest. iud. deleg. quasi minimè loquentem (sicut ipse existimat) de permutatione beneficiorum quæ fiat absque consensu Episcopi, eo quod inaniter scilicet ita loqueretur, quasi tum nihil fieret: quia nō satis animaduertit ibi Dominicus (quod cum bona tanti viri venia dictū sit) permutationem beneficiorum sæpè perfici, & vtrinq; impleri non via iuris at via meri facti; quod quidē dum contingit, simonia non mentalis tantum, sicuti loquuntur nostri, sed verè realis committitur: immodò quantumuis permutatio re vera seu de facto non impleteretur, sola tamen huiusmodi conuentio partium sufficeret ad incurrendam per easdem simoniam verè realem; Dominico dictitante, hanc tum non futuram simoniam nisi fortè mentalem.

76
Instar patrimonialium non esse beneficia ecclesiastica.

Liquet ex his quàm cœcum sit illis iudicium de quibus in suis Aduersariis testatur Costalius ad l. in commodato. 17. §. sunt autem. 7. commodati, qui putant Sacerdotia seu beneficia ecclesiastica esse instar patrimoniorum, quemadmodum de militaribus beneficiis id est feudilibus bonis Ioannes Faber ad principium Instit. de empt. & vendit. & Guido Papa. decis. 58. scripsum

scriptum reliquerunt. Igitur apud Francos, inquit Costalius, non ex canonica institutione sed ex pacto, stipulatione, & coemptione Sacerdota seu beneficia ecclesiastica parantur. Quo nihil magis impiū fieri posset in eo quidem genere. Quod autem Costalius impingit ibidem Panormitano quasi scriberet ad Rubricam de Simonia, hodie titulum de simonia correctum esse, nec in curia Romana locum habere, volumina Panormitani quibus nos videtur id falsum esse conuincunt & ipso intuitu declarant, cum tale nihil scribat Panormitanus: Romana verò Curia simoniacos acerrimè semper infectata fuit atque coërcuit & infectatur atque coërcet etiānum, testibus exemplis propè quotidianis. At hoc solum dicit ad cap. de simonia. nu. 5. Panormitanus, doctores quosdam dicere titulum de Simonia non habere locum in curia Romana, quemadmodum nec in curia Principis locum habet lex Iulia de ambitu. l. vnic. n. ad l. Iul. de ambit. eo quòd non à populo, sicut olim, sed ab ipso principe magistratus crearentur quo loco Bartolus operat l. Iuliam ambitus, vel iura de simonia potius, obseruari quoad eos qui Pontificem semper circumsepunt & ambitiosis ab illo nullius mali conscio multa frequenter impetrant, non sine liberali subinde manuum suarum vnctio- ne. cōqueriturque ibidem Bartolus simoniam non puniri sicut oportet; ideoque nullas no- uas de simonia cōstitutiones amplius fieri. Sed post Bartoli tempora tum in Extrauagantibus tum in

77
Titulum de
Simonia non
esse correctū.

78
Curia Rom.
Simoniacos
egregiè coër-
cet.

79
L. Iulia de
ambitu quo
sensu cesset
Rome.

85
Bartolus
de simonia
l. vnic. n. ad l.
Iul. de ambit.

80
Iura de Si-
moniacis no-
uissima.

81
Simonia in
beneficiis qua
tenus iure di-
uino sit pro-
hibita Pa-
normitano.

82
Pro beneficiis
aliquid acci-
pere vel dare,
Simoniã esse
indubitanter.

tum in variis Conciliis de simoniâ egregie
& adhuc in obseruãtia prorsus viridi, ne phra-
sin practicorum nostrorum vel delicatius vel
morosius refugiamus. Restringit nihilominus
istud istorũ Doctorum liberius dictum Panor-
mitanus ad solam simoniam iure duraxat hu-
mano prohibitam, quo Princeps ipse solus so-
lutus est licet omnem omninò mali speciẽ per
se diligẽter euitare debeat: At qui, simoniam
in beneficiis ordinum ecclesiasticorum vel po-
testatis clauium ecclesiasticarum executionem
annexam habentibus, ipso quoque diuino iure
prohibitã censeri: mota simul quæstione, num
Pontifex incurrere possit ipse simoniam, & an
hi qui dederunt aliquid ipsi Põtifeci pro bene-
ficiis obtinendis in conscientia tuti sint, maxi-
mè quando Pontifex ipse simoniam non in-
currit; quæ nostri nunc propositi non sunt, &
à Felino deinceps aliis quæ compluribus latè
disputantur ad idem c. 1. de Simonia.

Porro tametsi de permutatione beneficio-
rum liberali seu nullis interueniẽtibus quidem
pecuniis at sine consensu Episcopi facta dubi-
tatum fuerit, an ibi nimirum Simonia lateret
an non, nemo tamen dubitauit ynquam, quin
extra permutationem simonia sit apertissima si
vel pecunia vel aliquid pecuniis æstimabile de-
tur collatori vel Patrono vel aliis quibuscung;
pro beneficiis ecclesiasticis obrinendis. c. au-
diuimus. c. si quis violauerit. c. ex multis. c. al-
tare. & alibi passim. 1. quæst. 3. quantumuis de
iura

iuris distinctione dubitetur & hic, diuisione scilicet an humano iure prohibeatur istiusmodi simonia; qua de re Dominicú Soto diximus consulendum si quis Panormitani distinctione quam obiter indicauimus magis quam explicuimus non fuerit contentus.

Alia nobis longè grauior atque dubitabilior offert sese quæstio peropportunè nunc explicanda, breuissimè tamen, sitne videlicet simoniacum sine permutatione prorsus vlla, quin & sine sordibus vllis aut pecuniariis interuentionibus, beneficium suum gratis quidem resignare in manus ordinarij collatoris at tamen in fauorem certi cuiuspiam cui resignans optaret illud ab ordinario conferri; quod nisi fiat, id est nisi beneficium hoc eadem ita conferatur, nullam prorsus vel pro non facta habendam velit esse suam illam renunciationem, beneficio nimirum penes ipsum resignantem in eum casum remanete perinde ac si nunquam id resignasset. atque Glossographus quidem Pontificius in d. c. ex parte. r. s. de offic. & potestat. iudic. deleg. ad verbum *dimittere*, simoniacam videtur putare resignationem talem. quam in sententiam pedibus iuerunt ibidem Interpretes plerique, propterea fortassis potissimùm quòd fauor ille videatur quid esse pecuniis æstimabile vel in pecuniæ locum succedere. quin & ipse Nauarrus cap. 23. sui manualis num. 117. §. ad decimum. dicit renunciationem beneficij factam in fauorem alterius id est (inquit) adie-

83

Resignatio in
fauorem an
sit Simonia-
ca.

adiecto modo vt conferatur illi vel illi, esse simoniam; nisi fieret in manibus Papæ secundum stylum Curia à multis seculis seruatum à quo tamē Gregorius x i i i. recedere cœperit quamuis permittat vt vnà cum renunciatione vnus præsentetur petitio alterius cui renūcians vellet conferri. Sed Couaruias lib. i. variar. Resolut. c. 5. nu. 4. & 5. multis verbis & argumentis hoc agit vt ostendat renunciationem beneficij ea conditione factam in manus ordinarij vt Titio eius collatio fiat, simoniacam nō esse. rationem præcipuè hanc vrget, quod ex huiusmodi renunciatione seu resignatione beneficij nihil tēporale detur vel accipiatur in pretium cuiuspiam spiritualis; ideoque talem resignationem propter alias aliquas causas improbari non propter simoniam. Laudat authores huiusce sūæ sentētiæ ipsum D. Antoninum Episcopum Florētinum in summa sua morali parte 2. tit. 1. c. 5. §. 11. & Siluestrum Priēratem in sua quoque summa dicit. renunciatio. quæst. 6. & rursus dicit. simonia quæst. 16. sed falso scriptores illos allegat, cum vterque contrariam defendat sententiam, licet ambo fateantur simoniam tunc non esse quando resignatio beneficij fit absque tali conditione seu lege seipactio de conferendo illud cuiuspiam certo, tamen si resignans hanc habeat intentionem in mente sua retentam vt huic & non alteri conferretur: quod & Nauarrus admittit d. §. ad decimum, vers. secundò, quod renunciatio beneficij. & D. Antoninum tanquam grauissimum

hac

hac in re auctorem commendat contra Panor-
mitani Deciique sententiam qui simoniam illic
etiam putant certè mentalem latere: Nauarro
non aliter mentalè illic agnoscente simoniam,
quàm si fuerit intentio quoque paciscèdi; nam
si pactio re vera interuenerit id est si conditio
fuerit expressa inter resignandum vt beneficij
resignati collatio fieret Titio seu cuiuspiam cer-
to, simoniam esse realem seu actualem. quibus
addi potest, adeò non esse simoniacam solam
intentionem cui deest paciscendi voluntas, vt
etiam si desiderium hoc seu intètio hæc in ser-
monè deduceretur & expressè rogaretur Col-
lator vt beneficium sic resignatum Titio con-
ferre vellet, simonia prorsus nulla foret hinc
metuenda; quandoquidem nulla præscribitur
hoc modo lex vel conditio collatori. quò facit
aperitissimè c. tua nobis. 34. j. de simonia. ve-
rùm pactiones omnes talibus in rebus pericu-
losissimæ sunt. Quid igitur de noua istac & sin-
gulari & verò intolenti Couarruuiæ sententia
dicemus? equidem non reperio quenquam qui
fuerit in eadè cum illo sententia, præter vnum
Duarenum qui nimis audacter scriptitat (lib.
8. de sacris ecclesiæ ministeriis ac beneficiis c.
2. §. quomodo beneficium eiurandum sit) hu-
iusmodi conditionem ad simoniacū ambitum
nihil pertinere; nihilque referte an resignans
ita Pontifici id est Episcopo dicat, *ego benefi-
cium meum cum bona tua venia eiuro, & mihi suc-
cessorem dari opto Hieronymum; an verò ita, eiuro
beneficium in gratiam Hieronymi, qui si tibi dignus
non*

non videatur id retinere malo quam ut cuiquam alteri detur: nec enim omnem conditione hic improbari canonibus at eam demum per quam nundinatio quædam beneficiorum ecclesiasticorum induceretur iuxta c. pactiones. vlt. 3. de pact. Ita Duarenus; qui tandem paulò vel petulantius vel insolentius in Episcopos talem resignationem conditionalem seu in fauorem factam reiicietes atque beneficium sic resignatum pro suo nihilominus arbitratu quibullibet aliis conferentes inuectus, conqueritur de magna eiurantium seu resignantium captione per huiusmodi collationes. Mouetur inter cætera Couarruias ibidem & hac ratione, quod simoniacum non sit, immò nec vllum proflus peccatum, conferre beneficia consanguineis & proximis & familiaribus & amicis & aliis quibullibet quos fauore suo singulariter complectitur collator, ut sentit & ipse D. Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 5. in respõsione ad argumentum 2. quod fatetur & Nauarrus d. nu. 107. in princ. Sed alia est ratio resignantis, alia collatoris. collator enim ius habet conferendi, resignans autem non habet vllum ius transferendi quasi per quasdam nundinationes beneficium ecclesiasticum in eos quos ipse desiderat; ne quid interim hic repetatur eorum quæ de successione in tali re prohibitis adferebantur in proæmio. Nec etiã ratio Couarruiæ multum premit: quia fauores isti gratificationesque resignantium, fauorem videntur mutuum quasi pro pretio beneficij resignati velle pro-

34

*Proximis
cõsanguineis
conferre be-
neficia non
esse Simoniã,
immò nec
peccatum.*

uoocare; quod de collatore non aequè dici potest, utpote qui iure suo liberè conferendi re-
tè præsumitur uti, quamdiu contrarium non
apparet. Et sic intelligi volo quod paulò supe-
rius dicebatur, fauorem in pecuniæ locum vi-
deri succedere; fauorem nempe non resignan-
tis in resignatarium, sed huius in illum pro be-
neficij resignatione: nã alioquin vnus & idem
esset qui spirituale daret id est beneficium, &
qui simul temporale daret id est fauorem. Ergo
quid si nullum vicissim fauorem captauerit re-
signator hic? simonia fortassis poterit abesse
videri; temeritas tamè cum iniustitia renuncia-
tioni tali semper inerit. quò si Couarruias re-
sponderit, subtilitatis aliquid eius opinio pote-
st habere sed fructus omninò nihil; eo quòd
facilius proculdubio sit in rebus dubiis grauiora
semper metuere pericula. Quocirca simoniam
potius hic agnoscamus; uti facit & Rebuffus
in praxi sua beneficij tit. de resignatione con-
ditionali quæ dicitur in fauorè. in princ. Quæ
sententia nobis ob id etiam gratior & cõmen-
dator esse debet quòd nec ipsemet quidem
Summus Pontifex Gregorius xiiii. resigna-
tiones istas in fauorem facilè soleat admittere,
sed rem scrupulis plenam iudicare; sicut ex Na-
uarro superius adferebatur. At, inquis, cur
Pontifex hoc simoniæ vitium purgare potest,
Episcopus non item? quia quidquid hic latet
simoniæ, iuris est positivi; quo Pontifex qui-
dem soluere potest, Episcopus aut inferior
non item. dico iuris esse positivi seu humani,

85
Fauor quo-
modo sit loca
pecuniæ.

86
Cur Põtifex
vitium Simo-
niæ hic pur-
get, Episco-
pus nõ item.

d pro-

propter incertitudinem præcipue dubiumque, lateatne re vera sub talibus resignationibus in fauorem simonia, an non: cuius dubij dissolutio, Pontificis approbantis vel non approbantis factò contingit: quando quidem si Pontifex admiserit resignationem, simonia cessat; si non admittat, simonia foret metuenda si nihilominus coram vel ordinario vel alio quocumque procederetur ad exequendum resignantis (nec tamen aliter quã pro tali vel tali resignantis) desiderium, quin & Carolus Molineus, vir alioquin in ecclesiam catholicam periniquus & maledicus, in resignationes istas in fauorem vehementer inuehitur, easque, præter & hereditaria successionis & ordinariorum collatorum defraudationis vitia, simoniacas esse censeret in commentario suo in Regulam Cancellariæ de infirmis resignantibus nu. 101. Sed omni pactione seposita longissimeque per ipsum resignantem reiecta, si quempiam commendauerit Episcopo, simpliciterque beneficium resignauerit, nihil peccauerit aut Episcopus aut resignator in illo commendato ad hoc beneficium prouehendo; quinimmò perhumaniter vterque fecerit, si modò commendatus ille beneficio non fuerit indignus. at verò, si resignatio conditionalis fuerit, id est in fauorem facta & non aliter, & Episcopus & resignator peccarent si ratio fauoris huius haberetur: Episcopus quidem, propter admissam & adiutam à se pactionem talem simoniacam; resignator, propter ipsam pactionem simoniacam. Vnde per-

87

Commendatio
caret periculo
Simoniae.

spicitur quantum referat an liberè prorsus ec-
clesiastica beneficia resignentur an verò pactio-
nibus interuenientibus. nam legem dicere be-
neficiorum resignationibus. i. spiritualibus a-
ctionibus, est improbum; sed Episcopo quem-
piam nudè tantum commendari per ipsum re-
signantem, nihil habet improbitatis. conditio
nempe seu lex inducit simoniam, iuxta Glossa-
graphum atque DD. in c. cum pridem. & in c.
pactiones. vlt. s. de pact. at sola nudaque com-
mendatio, nihil minus. qua in re satis cordatè
distinguenta iudicium Couarruiæ dicto lib.
1. variar. Resolut. c. 5. nu. 4. & 5. vehementer
desidero; Duareni palpitatione non fero, dum
discrimè inter hæc duo rerum genera tam cla-
rum & euidens vel nõ perspicit vel se non per-
picere simulat potiùs, dicto lib. 8. c. 2. quo-
modo beneficium eiurandum sit. Nam quod
attinet ad exempla quorùdam priscorum per
Duarenum allata qui certos successores in Epi-
scopatum sibi designauerint, ea nihil habent
cum beneficiorum resignationibus istis in fa-
uorem, commune; quandoquidem designa-
tiones illæ nihil aliud quàm commendationis
instar erant, non autem vel pactionis vel con-
ditionis & legis; vt apud Gratianum 8. q. 1. ple-
nè est videre. quod pro nostra communi que
fuit sententia, ne Diui quidem Petri, succes-
sorem sibi Clementem designantis, nominatio
mox ab ipsius Petri morte sortiebatur effectum,
sed post alios demum duos intermedios, Li-
tium videlicet atque Cletum, qui multis annis
d ij ponti-

88

Conditio seu
lex inducit
Simoniam.

89

Designatio
successoris in
dignitatem
quatenus ex-
cusatur; de
qua pluscu-
lum diceba-
tur in proce-
mo sub si-
nem. 5.

90

D. Petrus
quomodo suc-
cessorem sibi
constituerit
Clementem.

valeat ipsa, sed conditio sola reiiciatur, ita vt ordinarius perinde possit id conferre cuilibet alteri cuicumque velit ipsemet, ac si simpliciter & pure facta fuisset resignatio. Rebuffus in praxi sua beneficiorum parte 3. tit. de resignatione condicionali quam in fauorem vocant nu. 7. & seqq. existimat, ac rationibus nonnullis probare nititur, talem resignationem totam prorsus esse nullam, adeo vt ne resignanti quidem noceat quatumlibet Episcopus eam quasi simpliciter factam acceptasset reiecta nimirum sola conditione tanquam inuili. rationibus mouetur potissimum his duabus, tum quod condicionalis hæc sit resignatio, qua quidem conditione non eueniente (id est Episcopo hoc beneficium resignatum nõ conferente illi in cuius fauorem resignatio fiebat) resignatio censeatur nulla l. illæ autem institutiones. 71. π . de hered. instit. tum quod vnus & idem actus diuersas cõtinens clausulas non possit pro parte recipi pro parte reiici arg. l. Aurelius. 28. \S . idem quæsiit. π . de liberat. legat. ne cætera nunc eius argumenta minoris momenti recenseamus. At alij plerique omnes Episcopo volût esse liberum, reiecta conditione, id est non habita ratione illius in cuius fauorem resignatio fiebat, beneficium hoc alteri cuilibet conferre: nisi quod Couarruias dicto num. 5. vers. & quamuis alteri. collationem ab Episcopo factam ab ipso Summo Põtificæ eiusque supremis iudicibus forsan ex æquitate rescindendam fore persuasum habeat,

92
Episcopu pte
re posse acce
ptare resigna
tiones in fa
uore. Et be
neficium sic
resignatum
conferre cui
libet alteri.

vt vel ipsimet renunciati restituatur vel ei conferatur in cuius ille fauorem renunciabat. summo enim iure Episcopi collationem, non obstante contraria resignantis conditione, valere Couarruias ibidem faterur: sed istam contra ius omne sibi finxit æquitatem rescissionis, ex eo quòd nihil vel simoniacum vel turpe putaret latere in resignationibus istis in fauorem: sic vnus error alium trahit. aliis Interpretibus absolutè collationem Episcopi alteri cuiuslibet factam comprobantibus, præter Duarenū qui loco superius memorato fraudem resignantibus fieri quitatur ab Episcopis dum conferunt alteri quàm in cuius fauorem resignatio fiebat. Verùm communis aliorum sententia collationem illam Episcopi approbantium, iustioribus & æquioribus videtur nisi fundamentis; propter summum præcipuè fauoris istius odium, iuxta rationes superius inculcatas. Itaque cum talis conditio sit proculdubio turpis, meritò pro non adiecta debet haberi, renunciatione nimirum simpliciter admittenda. arg. c. 1. & vlt. j. de condit. apposit. in despons. vel in aliis contractibus. arg. l. 1. & l. conditiones que contra. & l. conditiones contra edicta. c. de condit. institut. & alibi passim; ne scilicet vile per inutile vicietur. quo vel vnico fundamento rationes ambæ Rebuffi cum suis administrandis tanquam fumi per aëra disperguntur & evanescent; vt quibus nõ aliter poterit esse locus, quàm si sana probaq; fuerint omnia. Latè comprobatur hanc nostram communemque sententiam

93
 Condiciones
 quando pro
 non adiectis
 habeantur.

tiam Boërius in tractatu de dignitate Legati
quæst. 2. quem non rectè conatus fuit refelle-
re Rebuffus. de qua quidem sententiâ commu-
ni luculenter ille quem dixi modò Staphileus
eodem loco §. puto tamen. quam & ipsemet
Couarruias dicit. nu. 5. communem esse pro-
fitetur. Sed quid si talem beneficij resignatio-
nem quæ fit in fauorem certi cuiuspiam non
admisit Episcopus vllò modo, neque sic, id
est in fauorem, neque simpliciter? ecquid ex illa
resignatione sola beneficium hoc vacabit ita
vt expectantibus beneficia primò proximeque
vacatura vel aliis quibuscumque locus aperia-
tur? Ita quidem visum fuit Ludouico Gome-
sio in Regulam Cancellariæ de infirmis resi-
gnantibus quæst. 29. quod & olim Bernardus
Glossographus adnotauerat ad cap. quod Dei
timorem. j. de statu monach. & canonic. re-
gular. ad verba *ministrates ibidem*. Ratio red-
ditur hæc, quòd, quantum in ipso renunciante
fuit, missum fecerit & abalienauerit à se suum
beneficium, siue proprietatem hoc est titu-
lum siue possessionem spectes. cuius quidem
sententiæ meminit & Couarruias eod. lib. 1.
variar. Resolut. c. 5. nu. 6. & Staphileus d. §.
puto tamen. vbi allegat. l. si quis vi. §. differen-
tia. 7. de adquir. vel amit. possess. loquuntur
tamen omnes illi de renunciatione vel resigna-
tione simplici seu pura, cui nihilominus & hæc
in fauorem seu conditionalem docuimus esse
parem propter conditionis istius reiectionem.
At verò, crassissimæ notauit ignorantia iuris
d iij hanc

94
An ex resi-
gnatione be-
nificij nõ ac-
ceptata va-
cet beneficium.

hanc sententiam Carolus Molineus in eandem Regulam de infirmis resignantibus mox in princ. & Couarruias d. nu. 6. Et merito fanè; quoniam iuris est euidentis, neminem beneficio suo semet auctoritate propria posse abdicare; quandoquidem vt Alexander III. Pontifex Episcopo Tornacensi rescripsit, Episcopo inconsulto sua beneficia vel suas ecclesias dimittere clerici prohibentur c. admonet. s. de renunciat. quod & aliis locis confirmatur, vt c. quod in dubiis. & cap. nisi cum pridem. eod. tit. de renunciat. Ratio quoque luculenta non deest, nimirum quod nemo stationem suam deserere debeat miles, vt in huius commentarij proœmio satis copiosè demonstrauius. quod ad eò verum est vt ne renunciatio quidem apertè simoniaca faciat vt beneficium vacet vel in ipsiusmet renunciatis præiudicium, iuxta Glossographum ab omnibus plerisque receptum in cap. super hoc. ad verb. pecuniæ. s. de renunciat. quod singulariter est notandum. licèt enim detestabile sit simoniæ scelus, ad eò vt omnes omninò simoniaci tam occulti quàm manifesti ipso iure sint excommunicati nec ab alio quàm ab ipso Summo Pontifice possint absolui præterquam in mortis articulo, siue in ordinibus ecclesiasticis commiserint simoniam siue in beneficiis, nec vllum quærat in huiusmodi beneficiis ius, ita vt fructus inde perceptos non faciant suos, immò ad illorum omnium quæ perceperunt restitutionem sub animæ suæ periculo

95

Ne Simoniaca quidē resignatio priuat ipsi iure sed per iudicem erit privatus.

96

Simonicorū pena.

riculo sint adstricti, nec ordinum sic suscepto-
rum permittatur executio sed ab iis omnino
suspensi sint, iuxta constitutionem Pauli ve-
neti Papæ secundi quæ incipit *cum de restabile*
de simonia in Extrauag. commun. (quod po-
stremum de simonia ius est in hæc iuris Ponti-
ficij volumina relatum) tamen suis beneficiis
absque simonia quæsitis non excidunt simo-
niaci ipso quidem iure, sed propter simoniam
postea commissam iis meritò priuandi sunt.
quod quidem simoniæ castigandæ ius vniuer-
sum nouissimo simul Concilij Tridentini iu-
re sess. 21. c. Reformat. 1. & sess. 24. capp. Re-
format. 14. & 18. cum cæteris omnibus hu-
iusce vitij pœnis confirmatum fuit.

Illud fortasse quis ad extremum non imme-
ritò miretur, cur, si Episcopus, resignationi-
bus in fauorem factis non obstantibus, bene-
ficium sic resignatum nihilominus alteri cui-
libet liberè conferre possit postquam resigna-
tionem simpliciter acceptauit (nec enim ali-
ter acceptare potest vti dictum fuit) ipse ta-
men Summus Pontifex beneficium sic apud
se resignatum, cum clausula scilicet *nec ali-*
ter nec alias nec alio modo, non possit alte-
ri conferre, nec etiam purè vel simpliciter
acceptare talem resignationem: quid enim
prima facie vel absurdius vel incredibilius,
quàm Episcopo licere quod Summo Ponti-
fici non liceat? quem scrupulum non occur-
rille nostris interpretibus equidem submi-
ror. Discriminis autem ratio satis est euidentis

d. v & ro.

97
Cur Pōtifex
beneficia in
fauorem resi-
gnata non
possit simpli-
citer accepta-
re & alteri
cui libet con-
ferre, Epis-
copus autem
possit.

& rotunda, nimirum hæc; quia resignatio illa conditionalis vel in fauorem quæ fit corâ summo Pontifice, non habet in sese conditionem turpem; cùm Pontifex acceptando resignationem, purget eadem opera vitium omne seu simoniæ seu si quod sit aliud iure dumtaxat humano inductum. Tale autem quid est simonia de qua quidem laboratur hic; tale similiter & successionis illa species; tale denique frustratio collatoris ordinarij, cùm Pontifex vt ordinarius omnium plenam immò plenissimam de beneficiis omnibus pro suo arbitratu disponendi habeat potestatem. c. 2. in princ. de prebend. lib. 6. quo fit vt vitio purgato, si conditio non extiterit, id est si beneficiû illud à Pontifice non conferatur illi in cuius fauorem resignatio fiebat, resignatio re vera sit irrita seu nulla (quemadmodum contractus omnis conditionalis non eueniente conditione deficit & est nullus) & per consequens penes resignantem remaneat hoc beneficium. resignatio verò conditionalis vel in fauorem quæ fit coram Episcopo, conditionem habet omninò turpem, Episcopo videlicet vitium hoc vel turpitudinem hanc purgare nequeunte; quo ceterum fit vt reiecta conditione hac turpi resignatio relinquatur maneatque pura. Replicabis forte, Pontificem quoque conditionem illam posse reiicere renunciationemque purè seu simpliciter acceptare, respondemus, à Pontifice conditionem illam reiici non posse nisi resignationem totam repudiet, cùm turpis eo loco non

non fit ea conditio; quapropter vel resignantis manebit hoc beneficium, vel illi soli in cuius fauorem resignabatur à Pontifice conferetur. Igitur discrimen hoc inter Pontificem & Episcopos quoad hanc rem, non arguit maiorem in Episcopis quàm in Pontifice potestatem, sed ostendit conditionis turpis & non turpis diuersitatē. quinimò maior hinc elucet Pontificis potestas, vt qui vitia talia purgare possit cum tamen Episcopus ea purgare non possit. Sic autem sese rem habere, Pontificem nempe non posse alteri conferre quàm pro quo fit resignatio, præter viam quàm dixi modò rationem, docent authores cum plures grauissimi quos hic breuitatis causa prætermitto, memoratos à Rebuffo d. parte 3. suæ praxis beneficiorum tit. de resignat. conditionali quam in fauorem vocant nu. 3. & rursus nu. 30. 31. & 32. qui est vltimus. Neque verò mirum videri cuiquã debet nos dicere nihil esse turpis conditionis in resignatione tali quæ fit in fauorem coram Pontifice; quia Põtifex tanquam Summus Pastor & pater spiritualis aditur à quibuslibet pro salubri remedio quod in aliorum vltorum potestate non est: quale quidem remedium tum quærere tum petere non magis potest esse turpe quàm est vel pro morbis curandis medicum vel pro peccatorum remediis accedere confessarium legitimum & non alios qui potestate soluendi carent.

Sed hæc de resignationibus in fauorem dicta sint hæcenus, non importunè, nisi fallor, neque

98
 An pecuniis
 pensari possit
 beneficiorum
 permutando-
 rum inequa-
 litas, absque
 labe Simo-
 niaca.

neque prorsus extra propositū; quando beneficiorum permutationibus commodè fieri nequeuntibus, ad hoc remedium veniri plerumque solet. Sequitur vt ad ipsas beneficiorum permutationes reuersi disputemus de beneficiorum permutandorū inæqualitate pecuniis pensanda, sitne videlicet in ea pensatione labe aliqua simoniaca; quod alterū erat quæstionis genus inter posteriores capituli præcedentis clausulas hūc reiectum. Ne quis autem vel hallucinetur vel erret in quæstionis propositæ sententia, nō queritur hic de ipsamet permutatione quæ fiat auctoritate propria (quam permutationem simoniacam esse iam docuimus etiam si pensatio nulla pecuniaria interueniret) sed an ita per superiorem possit approbari permutatio vt certa pecuniæ summa numeretur pro pensanda fructuū ex iisdem beneficiis permutandis prouenientium inæqualitate. Scribit in summa sua de casibus conscientiæ verb. simonia. nu. 6. Angelus Clauasius, id simoniacum nō esse si modò pecunia detur in pensationem prouentuum merè temporalium, sed secus esse si pecunia detur pro pensatione iurium spiritualium, puta (inquit) si beneficium auctoritates habeat maiores, ita enim loquitur; allegato in id ipsomet Panormitano, quæ sententiam satis copiosè tum prosequitur tum sequitur acutissimus alioquin ille Caietanus in suis Commētariis ad Summam D. Thomæ. 2. 2. quæst. 100. art. 4. rationibus aliquot simul allatis. Allegat quoque pro hac sententia Co-

uanti-

uaruuias lib. 1. variar. Resolut. c. 5. nu. 9. eundem Panormitanum, quasi & is hoc scriberet in c. ad quaestiones. hoc tit. Sed falsò Panormitanus & ab Angelo & à Couarruua talis opinionis allegatur author, cum d. cap. de solis & ipsismet loquatur ecclesiis earumque praediis & bonis inter eos quibus ea subsunt permutandis, non autè de beneficiorum permutandorum titulis, nec inter eos qui quasi possidēt ecclesias pro beneficiis, quales esse constat ecclesiarum parœcialiū rectores & pastores aliòsq; similes beneficiarios. inter quæ quidem duorum genera quantum inter sit operosè docet ibidem Panormitanus nu. 2. 3. & 5. nec enim permutatio ecclesiarum fundatur in personis beneficiorum titulis & institutionibus canonicis praedictorum, sed in personis vel potiùs collegiis & corporibus illorū qui proprietatis iure tales ecclesias habent sibi subiectas & qui possessionum ad eas iure decimali pertinentium veri sunt Domini. quæ quidem res nihil habet cum beneficiorum permutationibus commune, nec iisdem nititur alienationis prohibita causis quibus priuata beneficiorū permutatio prohibetur, neque par est in vtrisque ratio cur superioris requiratur auctoritas. id quod luculenter declarat ipse Panormitanus d. num. 5. Couarruuias itaque, Panormitano minimè reluctante, meritò rectèque recedit à superiore isthac Angeli Caietaniq; sententia; quoniam ius illud quopotissimū nituntur Angelus & Caietanus, nempe

nempe d. c. ad quaestiones. de hoc beneficiorum permutandorum genere nequaquam loquitur, uti modò dicebam. neque fieri potest quin ubi pecunia datur pro beneficio vera sit simonia, cum temporale detur pro spirituali quale quid est beneficij titulus. quod optimè perspexit noster Adrianus Pontifex in quodlibet sua quaestione. 9. artic. ult. vers. ad quintum. à Couarruua laudatus quidem sed non satis examinatus, ut qui Panormitanū ab Angelo non fuisse intellectum sagaciter adnotauerit. Friuola sanè fuit Angeli ratio quòd scilicet pecunia pro téporalibus dari possit; nam quidquid est in beneficiis temporale, spiritualibus totum est annexum quorum & iure censetur ut ac tanquam accessorum; quandoquidem redditus beneficiorum, ex eorūdem beneficiorum titulo, qui censetur esse spiritualis, percipiuntur. nam alioqui semper vnusquisque qui pecuniam pro beneficiis ecclesiasticis adipiscendis dedisset, audacter & impunè dicere posset sese non pro sacro beneficij titulo sed pro redditibus & fructibus & emolumentis beneficij temporalibus & prophanis eam dedisse. quod ut & absurdissimum & à verò alienissimū reiicit optimo iure Couarruuias. d. c. 5. nu. 8. in fin. cum certissimū sit & evidentissimum titulos beneficiorum concedi gratia ministerij spiritualis vel officij spiritualis, ut in quaestione modò memorata omnium apertissimè loquitur Adrianus Pontifex. neque verò sic separari possint in permutandis beneficiis eorundem

99
*Spiritualibus
 annexum est
 quidquid in
 beneficiis est
 temporale.*

benfic

beneficiorum prouentus ab ipsismet beneficiis ex quibus proueniunt, quemadmodum possessiones vel prædia separantur ab ecclesiis parochialibus in illo c. ad quæstiones. vbi Pontifex in permutandis talibus ecclesiis & earum prædiis decimalibus duas requirit inter corpora seu monasteria (quorum ea prædia sunt) permutare uolentia separatas permutationes, unam ipsarum ecclesiarum inter se ubi pensatio pecuniaria nulla prorsus admittitur, alteram possessionum seu prædiorum inter se ubi pecuniæ permittitur interuentio. quales quidem duæ permutationes in permutandis inter se beneficiis duobus fieri non possunt, una beneficiorum scilicet, altera fructuum & obventionum beneficiorum eorundem; quia fructus ipsimet & obuentiones beneficiis ipsis insunt vel eorum sunt pars nullam patiens huiusmodi separationem, cum dumtaxat unicum sit & inueniatur ibi totum vel integrum suis constans partibus, quæ si separentur amplius non est quid integrum vel totum; sicut homo corpore extincto vel ab anima deserto desinit esse homo. Quo ex fundamento (spiritualis & inseparabilis nimirum iuris beneficiorum) sequitur & hoc, in permutationibus beneficiorum quantumlibet adeo inæqualium ut fortassis ultra dimidium læsus fuerit alter permutanti, remedio tamen Legis 2. C. de rescind. vendit. nunquam fore locum; quia pecuniarum additionibus in pensationem seu suppletionem permutationis iniustæ non potest esse locus. quam rem

100

Vera sententia
cap. ad quæstiones de rer.
permut.

101

In contractibus
permutationibus beneficiorum cessare,
remediu legis
2. C. de rescind. vend.

rem Couarruias d. nu. 8. vers. vltima ratio, cordatè prudenterque resoluit. Quid ergo remedij læsis, maximè minoribus? in integrum restitui poterunt, vt operosè per totum illud caput quintum lib. primi variat. Resolut. docet Couarruias. Quidnam verò dicemus de permutantibus inæqualia beneficia sponte sua nulloque ductis errore? nullumne suppetit remedium inæqualitatis huiusmodi pensandæ canonicum seu legitimum? suppetit omnino; quandoquidem pensio legitimè creati poterit in huius inæqualitatis pensationem. de quo quidè creandæ pensationis iure quia multi multa scripserunt, non est quòd nos hic eam cramben recoquamus. quin & pecuniis initio semel numerandis hanc inæqualitatem posse pensari, sed solius auctoritate Summi Pōtificis, tradunt nonnulli, quasi simonia talibus in rebus iuris esset humani dumtaxat; quorum sententia mihi parum placet, certè tuta minimè videtur. Si quæras cur per constitutionem pensationis compensari magis possit inæqualitas illa beneficiorum permutandorum quàm per numerationem pecuniæ præsentis vel semel interuenientis, cum tamen pensio quoque consistat in pecuniis; responderi fortassis poterit, pensationem talem de fructibus & obventionibus ipsius beneficij depromendam sic delibari vt naturam beneficij spiritualè quadatenus retineat; vt non tam temporale quid pro beneficio pinguiori vicissim rependatur, quàm spirituale quid aut spirituali annexum, saltem

102
Remedia pensationis inæqualitatis beneficiorum permutandorum; Et an pecuniis interuenientibus.

103
Pensatione beneficii spiritualis esse quid spirituale; ideoque nec vendi nec redimi posse.

dependentem aut consequenter, ut explicatio-
nis clarioris ergo loquitur Nauarrus in ma-
nuali suo Confessar. c. 23. nu. III. in princ.
vult enim pensionem beneficiale esse, non
quidem beneficium, nec etiam portionem fru-
ctuum beneficij nudam, sed ius quoddam spi-
rituale vel illi annexum; non antecedenter
(inquit) ut ius Patronatus, sed consequenter,
instar beneficij. Quæ doctrina quod & secu-
rior sit & multas quæstiones tollat mihi per-
placet. Hinc enim sequitur, pensionem talem
semel canonicè legitimeque creatam vendi ci-
tra simoniæ labem non posse, non magis quam
vel ius Patronatus vel ipsum beneficium ec-
clesiasticum; præterea nec redimi posse citra
Summi Pontificis consensum, licet gratis re-
mitteri possit, qua quidem de redemptione ve-
hemens fuit hætenus inter tū Theologos tum
iuris Pontificij DD. cōtentio; sicut apud eun-
dem Adrianum loco superius memorato & a-
pud Caietanum in opusculo Responsionum
16. & inter suas quæstiones quodlibetales de
simonia quæst. 4. & apud Dominicum Soto
lib. 9. de iustitia & iure. quæst. 7. art. 2. con-
clus. 3. & apud Hieronymum Gigantem in
tractatu de pētionibus ecclesiasticis quæst. 87.
& rursus quæst. 99. quæ est penult. & apud
Rebuffum in tractatu de pacificis possessori-
bus nu. 132. & alibi & apud alios denique plu-
rimos est videre. Licet autem spirituale quid
esse pētionem beneficiale sentiat Nauarrus,
& per consequens eam vendere vel redimere

104
Spirituale
consequenter
& Spirituale
antecedenter
Nauarro
quid.

e crimen

crimen esse simoniæ, nihilominus tamè agnos-
 cit, huiusmodi simoniacos ipso iure non esse
 excommunicatos; vt ex præmissa Pauli Veneti
 constitutione Extrauagante simoniaci in be-
 neficiis vel ordinibus ecclesiasticis excommu-
 nicati sunt; eo quòd hoc simoniæ genus nec in
 beneficiis nec in ordinibus versetur, sed in ter-
 tio quodã rerum spiritualium genere, quem-
 admodum est & ius Patronatus. Porrò quòd
 pensiones istas beneficiales dependenter &
 consequenter spiritualibus annexas esse dicit,
 ius verò Patronatus antecedenter, nihil aliud
 vult quàm quemadmodũ ius Patronatus pa-
 rat viam vel vt nostri loquuntur præambulum
 est ad consequendum beneficiũ ecclesiasticum
 (precedit enim nominatio vel præsentatio Pa-
 troni collationem beneficij & institutionem
 præsentati) sic pènsionem beneficialem depen-
 dere & consequi ex beneficio quòd eadè pen-
 sione grauat, neque nudo fructuum nomine
 censerì. Quo fundamento posito, corruunt
 omnes ratiunculæ Gigantis & aliorum qui
 pensionem beneficialem temporale tantum
 quid esse Giganteo magis quàm pio Christia-
 noque more fabulantur. quanquam sanè Gi-
 gas ingenuè profitetur sub finem dictæ sue
 quæstionis penultima, semper vbi animæ pe-
 riculum timetur eam partem esse tenendã que
 durior est & animæ fauet, vt ipse loquitur. im-
 mò sub finem dictæ quæstionis 87. vehemen-
 ter inuehitur in eos, vt ac tãquam simoniacos
 qui pensiones ecclesiasticas ea sibi referunt
 inter-

intentione dum beneficia resignant vt certis pensionibus anticipatis pensionum earundem us exinguatur. Illud hic obiter attingendum duxi, pensiones huiusmodi beneficiales non à Pontifice solùm sed & ab Episcopis constitui posse, idque ad vitam vsque pensionarij; adeò vt non solus ad eam soluendam teneatur præfens possessor cum quo permutatio fuit inita, verum etiam eiusdem vel mortui vel aliò transfati successor in idem beneficium, quantumlibet non hereditarius, affecto scilicet ipsomet beneficio, arg. cap. de cætero. s. de transact. At perpetua pensione beneficium vllum grauari nequit Episcopus, vltra vitã scilicet certi pensionarij; sed Summi Pontificis ad id requireretur auctoritas. c. significauit. j. de censib. Amplius dico, quod si transactionis causa crearetur alteri litigantium pensio super beneficio litigioso donec solus colligator beneficij possessor viueret, non autem diutius nec ad õnus futuri quandoq; successoris, ne Episcopi quietam requireretur ad huiusmodi pensionẽ constituendam consensus vel auctoritas, at solum sufficeret iudicum ecclesiasticorum iussio, propter concordiaẽ fauorem proque bono pacis, vt loquitur Pontifex in c. nisi essent. s. de præbend. adfert quidem Gigas hac de potestate episcopali cum plures auctores in quaestione sua 6. nu. 2. & seqq. at ius, quo potestas illa probetur idonee, nullum prorsus adfert; cum tamen textus illi quos allegauit sint hac in re satis aperti: Quaestio hic est apud Interpre-

e ij tes no-

105
Pensionem
quatenus
creare possit
Episcopus

106
An Cōmenda
vel etiam
pensio per-
mutari pos-
sit cum bene-
ficio.

tes nostros an beneficij commenda quæ dicitur in libris nostris, permutari rectè possit cum beneficio: quod iustius etiam de pensione ista hac beneficii quis quærat. de commendis loquitur Bonifacius octauus in c. nemo deinceps. de elect. lib. 6. Ac licet varij variè respondeant, equidem iuri perpetuo conformius esse reor, neque commendas istas neque pensiones beneficiales cum beneficiis permutari posse. cuius meæ sententiæ rationem hanc adfero satis viam, quòd huiusmodi spiritualia vel spiritualibus annexa non cadant in commercium nisi quatenus iure permissum inueniatur: atqui non inuenitur vsquam expressè permissa talium cum beneficiis permutatio, sed solorum beneficiorum inter se; sicuti per clarissima singulorum quinque capitulorum ad hoc permutationis beneficiæ argumentum pertinentium verba docemur, ac præcipuè duorum postremorum, nempe capit. vni lib. 6. & Clementinæ vnicæ de rer. permutat.

107
Expectantes
an possint
permutare.

Quibus & expectantes qui dicuntur à permutando prohiberi videntur, cum beneficij nihil habeant eatenus in ipsa re, sed in sola spe; contractu permutationis beneficiæ certum præsensque beneficium necessariò postulante.

Veniamus iam tandem ad singulas capituli nostri clausulas.

108
Sent. contentus de resignatione hic falsa.

Ait Pont. *resignauit, & post resignationē, &c.* Sed vbi fiebat hæc resignatio? proculdubio in manibus ordinarij id est Episcopi, licet siquet

liquet ex complemento secundo; tametsi per se se satis hoc intelligebatur ex vltima clausula capit. quæsitum. hoc titulo. Quare quod Pontifex permutantes hos priuet suis beneficiis, causa fuit hæc quod antequam Episcopus adiretur ipsimet inter se permutationem complerent, vt patet ex vers. cum ergo nobis constaret. hoc nostro cap. cum dumtaxat ipsis permitteretur incipere tractare de permutando; iuxta cap. cum vniuersorum. hoc tit. Quæritur hic oportune, si beneficiorum permutandorum collatio non pertineat ad Episcopum sed ad alios quosdam Episcopo inferiores, vtrubi resignatio talis ex causa permutationis fieri debeat? Ac ratio permutationis beneficalis approbandæ cogit, vt Episcopum nihilominus hac de re dicamus ad eundem; quandoquidem ceteri collatores Episcopo minores hac approbandæ vel reprobandæ permutationis auctoritate carent: id quod satis idonee probatur d. capit. Quæsitum. hoc tit. quia tamen verorum collatorum interest, vt & Patronorum, quinam quibus beneficiis præficiantur, merito requiritur horum consensus argum. cap. cum inter vniuersas. s. de elect. & cap. nobis j. de iure Patronat. & ita quoque post Ioannem Andree sentit hoc loco Gaufridus cognomine, Collectarius num. 11. Verum quid si præterierit eos Episcopos? ecquid hanc permutationem vnà cum noua collatione hinc secuta dicemus esse nullam? verius est ipso
e iij qui-

119

In permutationibus beneficalibus vbi fiat resignatio, collatione non ad Episcopum sed ad alios pertinente.

110

Consensus collatoris & patroni.

111
 Quidsi pre-
 terierit hos
 Episcopus,
 an collatio
 sit nulla.

quidem iure permutationem collationemque valere, sed collatoribus vel Patronis eam non ferentibus reuocandam rescindendam vel ut nostri loquuntur annullandam. c. quod sicut. 28. §. de elect. & c. cum in ecclesiis. 33. de prae-bend. lib. 6. & arg. c. illud & ibi DD. j. de iure Patronat. qua de re Collectarius idem hic nu. 3. Cui sententiae prima facie vehementer obstare videtur c. decernimus. 16. q. 7. ubi collatio beneficii per Episcopum alteri facta quam praesentato per Patronum decernitur irrita seu nulla. Respondendum est, illic de permutatione non agi sed vltanea Episcopi collatione beneficii non permutati sed simpliciter vacantis ubi Patroni nominatio siue praesentatio iam locum inuenerat. plus itaque permittitur Episcopo in beneficiis permutatis, utpote non simpliciter vacantibus, quam in beneficiis simpliciter vacantibus ubi collatoribus & patronis aduersus iam est ius, quae solutio quamuis clarissima solidissimaque non quibusuis occurrit. refragatur quidem Bellamera decis. 179. & 181. sed satis temere.

112
 Vrie literas
 portare.

Ait Pont. in additione. *timens ne literas portaret Vria.* Notissima cunctis est historia haec sacra ex libri secundi Regum cap. 11. De illorum autem improbitate furtoque; qui literas ad alios conscriptas atque clausas aperiant ac legunt & epistolas alienas intercipiunt, praeter hunc locum consulendus est Vlpianus in l. cum quie-mit. 13. §. si epistola. 7. de furt. ubi ex professo de furti actione pro sola epistola intercepta dispu-

113
 Epistolam
 alienam in
 recepto qua
 lo delictum.

disputat; quemadmodum & Paulus cōtra La-
beonem de epistolæ tabellario traditæ domi-
nio in l. si epistolam. 65. quæ est penult. in prin-
cip. .π. de acquir. rer. dom. vbi rescriptę literæ
sunt eius ad quem rescribuntur simulatq; Ca-
bellario scribentis prioris traditę fuerint. ita
Summus Pontifex & hoc loco literas ad se per
iudices delegatos pro relatione totius litis cō-
scriptas & alteri litigantium traditas vt ad se
(Pontificem) perferrentur, suas videtur nomi-
nare dum verbis vtitur hisce, verum sæpedi-
ctus B. delegatis nostris non deferens immò
verius delegantis sigilla violauit & illorū scri-
pta quę nobis fuerant presentanda non eru-
bit aperire. quo loco vcula & pro id est for-
sitan ponitur. Sed hæc vt obiter duntaxat inci-
dentia nec ad permutationis beneficialis mate-
riam præcipuè spectantia prætereamus.

Ait Pont. & hunc Præpositura & illum Ar-
chidiaconatu curauimus spoliare. Sciolus hic ali-
quis fortè legendum putaret curauimus spo-
liari: sed rectissimè sese habet nostra lectio
cunctis in libris etiam antiquissimis constan-
tissima. quandoquidem non per iudicem vl-
lum delegatum suis beneficiis curauit hosce
spoliari Pontifex, at ipsemet per suam senten-
tiam definitiuam spoliavit. ergo verba hæc cu-
rauimus spoliare sic interpretaberis id est curæ
nobis fuit vt spoliaremus. quo ex loco & illud
obiter obserua, spoliationem non ad iniustam
duntaxat ademptionem referri verumetiam
ad priuationem quę iure fiat meritissimo. sic
e iij & ab

114
Epistola ta-
bellario tra-
dite domini
penes quos.

115
Sententia ver-
borum Cu-
rauimus
spoliare.

116
Spoliare in
bonam par-
tem.

& ab hostibus referuntur spolia, sic à suis dominis lana spoliantur oues & fructibus arbores. Ceterum digressionem longissimam querunt hic Interpretes nostri post Glossographum in voce *definitiuam*, occasione spontaneæ confessionis hic per Archidiaconum factæ, an contra confessum sententia sit opus. nam licet confessus in iure pro iudicato sit habendus eo quod quodammodo sua sententia damnetur. l. 1. π . de confess. & l. vnic. C. de confess. hic tamen, vt & in c. 2. \bar{s} . de confess. & alibi frequenter, sententiam videmus interuenisse. Nos itaque breuiter (vt in digressu nihil ad beneficiorum permutationes pertinente) sic optimè distincturi videmur, si dicamus in ciuilibus quidem causis ante litis contestationem in iure confessos per sententiam condemnandos amplius non esse, solo iudicis præcepto seu iussu de soluendo sufficiente. l. si Reus. π . de Procurat. l. si debitori. π . de iud. post litem verò contestatam in iure confessos per sententiam nihilominus condemnari debere. quò facere putatur l. de qua re. π . de iud. quanquam tutius atque securius esse iudico creditori, semper & indifferenter petere sententiam, non in contentiosis tantum sed & in spontaneis atque voluntariis; quod & vsu passim videtur obtinuisse: quantumlibet in spontaneis his Interpretum nemo sententiam requirat. in criminalibus certè confessi nunquam pro iudicatis habentur propter tam graue causarum pondus, ideoque sententia prorsus erit opus; vt fit in hoc nostro

117
In iure confessus an
quando per sententiam sit
condemnatus.

Comment. in c. cum vniuersorum. de rer. perm. 73
nostro capitulo quod simoniacorum continet
condemnationem & in l. si confessus ꝛ. de
custod. & exhibit. Reorum.

CAP. 8. CVM VNIVERSORVM.

Idem Archiepiscopo & P. sancti An-
dreæ Colonienf.

Cum vniuersorum. & infra. Intelleximus
G. Canonico referente, quod cum ipse & L.
clericus de permutatione prebendarum suarum in-
ter se tractare cœpissent, quam utilitati utriusque
imminere credebant, tandem idem L. prebenda
eiusdem G. cuidam consanguineo suo adsignata,
prebendam suam ei sicut promiserat noluit resigna-
re: & infra. Cum igitur deceptis & non decipien-
tibus iura subueniant; licet ipsi per se de iure nō pos-
sent ecclesiastica beneficia permutare; vt tamē sim-
plicitati venia tribuatur, mandamus quatenus, si
constiterit praxatum G. taliter fuisse deceptum,
amoto à prebenda sua consanguineo ipsius L. vel
qualibet alio illicito detentore, eam restitui faciatis
eidem.

Locus hic eiusdem est Innocentij Tertij
Pontificis de quo diximus ad capitulum præ-
cedens. Decisio capituli breuiter hoc sibi vult,
beneficium ex causa permutationis resigna-
tum restitui debere resignanti, comperutan-
te altero permutationem non implente. Facti
speciem iurisque decisionem contextus inte-
get ex antiquioribus & manuscriptis locuple-
tatus atque restitutus editionibus lōgè clario-
rem reddit & illustriorem. Sic igitur habet.

c v Idem

118
Argum. cap.
cum vniuer-
sorum.